

cum ista nixæ, nisi cum illa nexæ. Ita se se attollebant ab humo, ut essent à fumo opinionum. O magna vis virtutis! ô probitas! ô candor! ô quod caput est pectora nivea & aperta! ô si tales plures essent, fortè aurea secula redirent; & viveremus in terris coelestem aliquam vitam. Certè pauci sunt, qui immunes se servant à noxis & vitiis, quæ per bella aliàs maximè pullularunt. Iam perpauci, qui melioris & prisca, ut sic dicam, sanguinis sunt. Proh dolor! vix militia ubi non pestis illa magna undique malitia, quæ tanquam contagio totum militare corpus pervadit. Et si in Militia purum illum ætherem, & serenos semper animos expectas, non invenies: nimbos magis, procellas, calumnias. Ah quantum terræ marisq; quis obeat, nec tamen inveniat:

*Rara fides pietasq; viris qui castra sequuntur.*

Quæ nunc facies ac forma? videmus ambitionis, confusionis, corruptionis pleraq; plena. omnia infida, intuta, nec veri solatii ulla spes; quam in se quisque. Heu vanitates, heu malitias, heu ineptias, quas videmus, & quæ nunc audimus, quàm inopinata, quàm obliqua, quàm non pro veteri fide & more Romanorum. Beati igitur qui ab his inferis ad alta, à vanis ad solida, à turbidis ad quieta. Beati qui extra molestias, & omne discrimen sunt positi, nec expertes ambitionis aut palentium curarum. Beati qui valla & mœnia exstruunt, quibus muniunt, & cupidinum novos insultus arcant & depellunt. O verè beati in hac terrà, qui hoc curant, ut vitam corrigant, ut Deo placeant, ut sedem ab his nimbis in supera illa arce possideant; unde humana hæc omnia adspiciant & contemnant.

Omnia quia variant, etiam animi militum variant;

E 3

Quidam